

xationibus exigentium sunt expositi, de quibus Dom. Solorzanus lib. 1. Cap. 22. num. 56. & 57. & in Politicâ lib. 2. Cap. 23. in fine. Circa alios etiam multa violenter contingunt, quibus à Prælatis remedium, aut nullum, aut languidum, aut rarum adhibetur. In quo loqui iuvat expertum. Si ergo Regia pro istis quaratur protectio, tolerabile id reddit vexatio, quæ dabit iuncta propriæ violentis exactatibus intellectum.

CAPVT V.

An Indicæ Audientiæ intromittere se possint in moderandis stipendiis ministrorum Ecclesiasticorum; sicut & circa numerum ministrorum ipsorum?

Quid praxi circa taxationem firmitatem.

Affirmat D. Solorzanus Lib. 4. Cap. 3. n. 31. & in Politicâ lib. 5. Cap. 3. pag. 766. s. Lo octavo. Quia in Hispaniâ id lege statutum, perquam cura hæc Senatui supremo committitur, quoad taxas, seu Adanceles. L. 27. Tit. 25. lib. 4. Recopilat. & Indicis Audientiæ per varia rescripta, quibus taxæ non debent excedere triplum in Toletano Archiepiscopatu solui solitum. Quoad Alguacellos autem nihil dicit, posse tamen per potestatem Regiam moderari, sunt qui teneant, sicut & procuraciones, & collectas, quas visitatores in visitationibus exigunt. Pro quo etiam citatus Auctor Lib. 3. Cap. 8. num. 64. & seqq. & in Politicâ Lib. 4. Cap. 8. s. X si aut. Et Bobadilla Lib. 2. Politicæ Cap. 18. num. 227. & seqq.

Affertio 1. Generaliter non esse licitum.

27 Dico primò, Generaliter loquendo, nequeunt Audientiæ Indicæ stipendia Ecclesiasticorum ministrorum taxare. Id constat: quia taxatio talis est actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, vt est manifestum, ad quam sicut spectat ministros eligere, & eis laboris sui stipendia soluere, ita & stipendiorum eorundem taxatio, vt quid consequens. Et ita Concilium Tridentinum Sessioe 21. Cap. 1. de Reformatione. Notariis Episcoporum pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, decimam vnius aurei partem assignauit, si aliàs salarium non habeant assignatum, & leges ipsæ, quæ hoc ad laicam potestatem spectare indicant: vt 27. citata, & alia, hoc ipsum supponunt, dum statuunt remittendos ad sua Prætoria Adanceles tribunalium Ecclesiasticorum, vt scilicet an in illis excessus sit aliquis dispiciant. Ex quo clarè arguitur: Nam quod proprium est jurisdictioni Ecclesiasticæ, nequit ad se laica potestas auocare. Hac enim ratione matrimoniales causas, beneficiales, decimales, & aliæ auocari nequeunt, quia scilicet propriæ jurisdictionis Ecclesiasticæ sunt & materiam concernunt spirituales. Neque enim dici potest esse mixti fori; quia in illis non est specialis ratio, propter quam id debeat affirmari, potius quàm in adductis: titulus enim omnino spiritualis est, sicut & fundamentum, licet circa materiam temporalem versetur. Quemadmodum taxare stipendium Misarum ad Ecclesiasticum forum tantum spectat, quia pro labore in re omnino sacrâ est, licet materialem pe-

Mixti fori non esse.

Concludentia exemplis.

cuniam substantiam concernat: sicut etiam matrimonium & beneficium; corporum enim traditionem, & vsum respicit illud, sicut & hic fructuum perceptionem.

28 Nec dici etiam valet potestatem Regiam ex vi juris naturalis ad hoc se extendere posse, iuxta quod damnis, & vexationibus subditorum prouidere debet, quæ per impositiones, & contributiones illicitas contingunt. Nam generaliter loquendo de Episcopis aut Synodalibus conuentibus id præsumi nequit, iuxta illud Sancti Anteri Papæ ad Episcopos Hispaniæ: Absit, vt quidquam sinistrum de his arbitremur, qui Apostolico gradu succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt. &c. Habetur 11. q. 3. & quidem maiora illorum dispositioni creduntur, distributio inquam, totius patrimonij Christi, decimarum videlicet, & prouentuum aliorum; ciuiles, & criminales causæ in omnibus instantiis præter censuras, & alia ad Sacramenta spectantia, in quibus maior verti potest subditorum periculum, aut momentum. Ergo & minora ista, quæ illorum comparatione vix veniunt æstimanda.

29 Si dicas magnum timeri damnum posse, si res diuinæ ut materia turpis quæstus assumantur. Id quidem non potest obstare. Nam licet, si ita contingat, magnum profectò malum sit; id tamen, vt probauimus, nequit cum sufficienti fundamento præsumi, & præterea respectus ille omnino proprius Ecclesiasticis Prælatis est, quia est omnino spiritualis, & ita ad laicam potestatem non pertinet intuitu illius operari. Quemadmodum res sacrâs vendere, & simoniæ crimen incurrere, malum est penitus detestandum. Nec tamen ad laicos spectat iudices, leges contra simoniacos promulgare, quia id ad Ecclesiasticos prorsus spectat: prohibere scilicet, ne res sacræ materia venalitatibus execrandæ reddantur. Circa quod esse nequit dubitatio.

30 Dico secundò, Quod de taxis stipendiorum est dictum, generaliter etiam loquendo ad procuraciones & collectas est extendendum. Id constat eisdem fundamentis. Et præterea, à Concilio Tridentino Sessioe 24. Cap. 3. de Reformatione circa moderationem procuracionum huiusmodi id statutum, quo nihil sanctius, aut vrgentius excogitari potest: ergo potuit circa moderationem talem dubio procul auctoritatem suam interponere, vt propriam Ecclesiasticæ potestati. Tunc vltra. Ergo laica potestas circa hæc disponens, & modum statuens irremissibiliter obseruandum, iurisdictionem Ecclesiasticam conuincitur usurpare. Et quidem pecuniæ taxa, vbi victualia noluerint visitati in specie tribuere, Ecclesiasticis visitatoribus facienda committitur verbis illis: Certa pecunia taxata. Nequit ergo hoc sibi laica potestas arrogare. Præterquam quod, si laica prouidentia circa huiusmodi est taxationes intenta, idè quidem erit, quia Ecclesiastica circa hoc minus sufficiens iudicatur: Atqui id dici nequit: nam Concilium summi ponderis obligationem apponit, quæ visitatores valet reddere supra modum sollicitos: ergo nihil est, quod debeat hac in parte suppleri. Quod si non obstante Concilij prouidentia, excessus in visitationibus inueniuntur; quod à laica addit contigerit, minus etiam erit sufficiens, & quod titulo

Eiuso ex iure naturali practica.

Cap. Abite 11. q. 3.

Ex absurdo turpis questus in rebus sacris non bene arguitur.

Affertio 2. Idem statuens circa procuraciones visitationum, & collectas.

CAPVT VI.

Audientiæ Indicæ an circa funeralia possint judicialiter diffinire?

33 Exat rescriptum Regium Tom. 4. pag. 337. quo Audientiæ injungitur, vt tolli penitus faciant excessus, quos in funeralibus, matrimonialibus, & aliis similibus iuribus Indiarum Parochi per corruptelam inducunt. Et ita hoc licitè fieri posse consequenter affirmat Dom. Solorzanus Lib. 4. Cap. 3. n. 32. & in Politicâ lib. 5. Cap. 3. pag. 766. col. 2. Et quod ad funeralia atinet, Caietanus, Nauarrus, Soula, Grassis, P. Filiucius, & P. Layman, quos adducit Diana Parte 1. Tract. 2. Resolut. 65. docent, Principes posse Clericis, suis statutis moderari sumptus ceræ, quod & consequenter de aliis dicendum videtur, quæ purè spirituales non sunt, & videntur tantum ad pompam pertinere; licet ex illis aliquæ Ecclesiis utilitates possint prouenire, vt ex culcitris, atque operimentis pretiosis, quæ defunctorum corporibus apponuntur: ex illis enim fieri possunt ornamenta, & ita id tenent Duardus, & Martha apud Dianam supra. Sicut & de extruptione sepulchri, cuius temperamentum statui lege potest: Ipse autem Diana, cum aliis, quos allegat, existimat statutis quidem Principem eam decerni moderationem posse, ex quâ Ecclesiæ detrimentum nullum patiantur, quia non minuuntur eleemosynæ: vt minuuntur, si cereorum, & candelarum numerus statuatur, vel pretiosa operimenta prohibeantur, Ecclesiis relinquenda. Quod & de extruptione sepulchri cum Carolo de Grassis videtur sentire.

Moderationem in iuribus funeralibus, & aliorum, statuit rescriptum Regium.

Fauet gratiam Auditorum sententia.

Quid alijs, adhibita distinctione.

34 Dico primò, Quicquid in funeralibus ad solam pompam spectat, possunt potestates laicæ moderari. Sic citati. Ratio est clara: quia ex tali moderatione nullum Ecclesiis detrimentum superuenit. Ergo minime ex eâ parte Ecclesiastica libertas violatur. Sic ergo & ornatus parietum, & magnificentia tumuli, & ornamenta corporis, ac cereorum numerus ad moderationem redigi possunt, quando ex illis nihil in Ecclesia relinquendum, vt frequentius accidit, neque ad diuini officij celebritatem spectant, cuius intuitu minime disponuntur, & quidem iustissimè statui possent, ne defunctorum corpora nimis pretiosis vestibus ornarentur, ex aureis scilicet telis in sepulchris putrefaciendis, præsertim in feminis. Solent enim in hoc genere vanissima quædam portenta videri.

Affertio 1. Ad pompam spectantia possunt moderari.

35 Dico secundò: sumptus, qui circa ea vertantur, ex quibus directè solet Ecclesiis utilitas accrescere, nequeunt statutis laicalibus prohiberi. Sic ex citatis colligitur, & ratio est clara: quia ex hoc libertas Ecclesiastica coarctatur, ratione cuius possunt Ecclesiæ admittere quicquid à fidelibus dari potest. Sicut ergo extra fune- ris occasionem cereos; & oblationes panis, vini, arictum, vitulorum &c. accipere poterant ita & illius occasione, sin minus limitata comperietur.

Affertio 2. Non ea, quæ directè ad Ecclesiæ utilitatem spectant.

36 Dico tertio, Indirectè possunt prohiberi sumptus, ex quibus utilitates possunt in Ecclesiis deriuari. Hoc explico. Moderatio circa magnificentiam

titulo stipendij non habebitur, modis aliis turpioribus exigetur.

Affertio 3. Circa numerum Alguacellorum.

31 Dico tertio circa numerum Satellitum, aut Alguacellorum idem dicendum, quod Affertionibus præcedentibus. Sic Grauanus, Barbosa, Venerus, & Cardinalis Petrus Bertrandus; quos adducit, & sequitur Diana Parte 4. Tract. 1. Resolut. 100. vbi & declarationem Cardinalium profert An. 1615. In quâ decernitur, quod Episcopus potest habere tot satellites, quot voluerit. Fundamentum est: quia Episcopi possunt ministros sibi conuenientes habere: ergo & quot sibi bene visi fuerint. Qui ergo minuendos cogunt, contra illorum militiam dignitatem: vt si velent eorum capellanos, aut seruitores limitare. Antecedens est certissimum, & constat ex Concilio Tridentino Sessioe 25. Cap. 3. de Reformatione, vbi in causis iudicialibus, in quibus executio realis, vel personalis in qualibet parte iudicij propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, à censuris se abstineant. Supponit ergo propriâ auctoritate fieri posse executionem realem, & personalem, & consequenter ministros ad illam sufficientes habendos, de quibus statim addit: Super captionem pignorum, personarumque distinctionem per suos proprios, aut alienos executores faciendam. Sic ibi. Ex quibus colligitur communiter Scriptores; posse Episcopos familiam armatam habere, ex quibus aliquos adducit Dom. Solorzanus lib. 3. cap. 7. num. 82. & in Politicâ lib. 4. cap. 7. pag. 550. s. De la qual. Licet ante Concilium etiam id licuisse plures alij affirmarint. Et ex iis citatus Cardinalis, & complures citati à Barbosa De Potestate Episcopi Allegat. 107. Quia tamen sunt, qui hoc negent, apud citatos, videndi neque vbi que fit in vlt, & maxime in Indiis, non debent circa hoc Episcopi nimium esse contumaces.

Concilium Trident.

Episcopi satellites habere possunt executionem & familiam armatam.

Leges Hispaniæ qualiter circa præfata accipiendâ, cum notandâ doctrinâ.

32 Ad leges autem Hispaniæ dicendum illas iuxta quorundam Iuris consultorum sententiam, latas, & quoad obligationem nihil esse quod urgeat; illa enim & Principum voluntate dependet, vt vidimus Tit. 2. cap. 9. Reges autem nostri, cum eximie Catholici sint & Ecclesiæ obsequentissimi filij, nihil suis legibus eidem contrarium volunt, & ita vt effectum aliquem habere velint, ille certe explicandus est, qui libertati Ecclesiasticæ minime contrarius habeatur. Erit ergo eorum voluntatis, vt in præfatis casibus Prælatos Ecclesiasticos Regij Magistratus exhortentur, vt ea moderentur, quæ subditos grauare possunt, quorum grauaminum argumentum esse potest, si illi de ipsis communiter conquerantur. Et hoc quidem ad moderationem desideratam sufficet, vnde nihil addendum vltra. Quomodo enim credibile sit Episcopos vrbane, & rationabiliter admonitos, contra Regis voluntatem suas dispositiones obstinatius defensuros? Cum ergo hoc satis sit, ad quid leges plenè periculo? aut qui credi queat eas Reges per excellentiam Catholicos, toto obligationis pondere conditas voluisse?



magnificentiam tumuli, statui potest, ex quo directe nulla utilitas pro Ecclesia habetur: At quia in eo multi cerei, & candelæ apponi solent, quæ Ecclesiis relinquuntur, ex illius moderatione imminutio cereorum, & candelarum sequitur, quam dicimus cum citatis Auctoribus non esse contra Ecclesiasticam libertatem. Id, quod ex communialia scriptorum doctrinâ ostendo: nam Magistratus augere pretium rerum possunt, ex quo Ecclesiastici indirectè grauentur, cum debeant vniformi pretio res sibi necessarias comparare: & tamen id contra Ecclesiasticam libertatem non est; quia non est obligatio ad genus illud indirectæ molestiæ vitandum, quando ex intentione grauandi Clericos non progreditur, vt scilicet eo circuitu, quod aliàs obtineri non poterat, exigatur.

Idem circa leges dicens circa dicta disponentes.

37 Dico quartò. De legibus circa prædicta, quæ contrariæ videntur, eodem modo philosophandum, quo de aliis, de quibus dictum num. 32. Itaque admonendi Prælati, & seriis exhortatoriis ad remedium excitandi. Quod si non sufficiant, urgeantur meliori modo, ex eo fundamento: quia Regibus nostris commissa est Indorum conuersio, & promotio in fide, contra quam fit iniquis extorsionibus pecuniæ, & pecuniæ estimabilium, quæ in rerum sacrarum administratione admiscuntur. Quod si Parochi Hispanorum sint, pariter procedendum; quia non aliud debet esse illorum agendi modus, & eorum praua exempla etiam promotioni fidei officunt, cum talia Indi prospiciant, & scandalizari possint, sicut ex iis, quæ erga ipsos peraguntur. Possunt ergo Audientia Indicæ nomine erga huiusmodi prouidere. Et hoc etiam circa iura matrimonii, & quæcumque alia agendum, cum in omnibus eadem sit ratio, & paria inconuenientia sequantur, de quibus inferiùs etiam differendum.

CAPVT VII.

Quid Indicæ Audientiæ sine Conscientiæ labe possint circa spolia Episcoporum?

Spolia Episcoporum vt colligantur in Hispania & Indijs.

38 VT se intrromittere in spoliolum huiusmodi collatione possint, & lites, quæ ex eo oriri possunt, dirimere solutionemque famulorum, & creditorum exequi, quod in Hispania Regio Senatui praxi iam veteri competit, Regiis rescriptis stabilitum inuenitur, de quibus Dom. Solorzanus Lib. 3. Cap. 11. num. 37. & seq. & Lib. 4. Cap. 3. num. 34. & in Politicâ Lib. 4. Cap. 11. & Lib. 5. Cap. 3. 5. Lo Noueno. Est autem id difficile si solum Regiam auctoritatem, etiam de plenitudine potestatis inspiciamus. Quia, vt bene arguit P. Azor Parte 2. Lib. 8. Cap. 4. Quæstio 2. Spolia sunt bona Ecclesiastica, circa quæ nequit Regum, & Principum auctoritate disponi. Quo iure in Pontifice stante, ea sua cameræ generaliter applicauit, licet non in omnibus Regnis, & Prouincijs eadem circa hoc consuetudo seruetur. Pro quo videndus idem Quæst. 1. In Indijs certè Pontificia collectio non viget; ob rationabiles enim causas, id

est hucusque detrectatum: non quidem ad Regii Patrimonii incrementum pertinentibus, cum ex illis nihil sibi nostri Reges astumant, sed piissimâ attentione distribuunt; verum consideratis alijs, de quibus non est cur specialius differamus. Quamuis, ne hoc ad profundum aliquod Sacramentum referre videamur, dici potest idè spolia Indica Apostolicæ Cameræ non inferri, quia ipsa Sedes Apostolica decimas Catholicis Regibus largita est, quarum portiones videntur esse spolia: neque decens erat, vt ei, quæ plenam aded largitionem fecerat, reliquæ istiusmodi cum rigore exigenti redderentur.

Cur in his Camera Apostolica non inferantur.

39 Vt ergo iustificari praxis prædicta possit, & laicæ potestatis ad rem penitus sacram extensio: multa Auctores, Hispani præsertim, allegant, professione juris insignes, ex quibus Dom. Solorzanus citato Cap. 11. Viriisque loci Politicæ scilicet, pag. 586. & seq. & Tomi 2. Et omnia ad vnum reduci possunt, quod scilicet morientibus Episcopis, omnia eorum bona direptioni remanent exposita, vt neque paxillus, vt dici solet, in pariete relinquatur. Ad Regiam autem prouidentiam spectat huiusmodi excessibus obuiare, & ubi aliorum sollicitudo pro defensione non superpetit, morientes, & eorum, bona in suam recipere protectionem & famulos pariter, ac creditores, vt illis, quæ explorata fuerint debita perfoluantur. Quod præsertim tunc faciendum, cum Reges Ecclesiarum patroni sunt, quales sunt Catholici, in Indijs præcipuè, & ita pro eorum bonis tuendis excubare debent, cum constet Episcoporum bona, deductis debitis, ad eas pertinere. Pro quo citatus Auctor adducit Cap. Cum vos de Officio Ordinarij: Quod quidem nihil ad rem videtur conducere: ibi enim de Episcopis non est sermo; de Ecclesijs autem alijs vacantibus, quæ de iure patronatûs sunt, Archiepiscopo Cantuariensi præcipitur, vt curam agat, æconomis deputatis: Ponatis æconomos, qui debeant fructus percipere, & eos aut in Ecclesiarum utilitatem expendere aut futuris personis fideliter reservare. Verba sunt Alexandri Tertii. Vbi Glossa sic infert; ex hac littera notare deo, quod patronus se intrromittere non debet, de rebus Ecclesiæ, nisi quoad defensionem. 16. q. 7. Glossa. Decernimus. Vbi quod de defensione, non ex citato Capite colligit, in quo de eâ nihil, sed de suo addit, iuxta patronatûs conditionem; & citati Capituli tenorem quod est Concilii Toletani 4. & præterea de bonis, quæ spolia dici possint, nihil ibidem, sed de fructibus tantum sermo est, pro quibus æconomus deputandus: qui autem pro spoliolum curâ deligitur, non æconomus sed curator potius est dicendus. Cum autem patronus se intrromittere non debeat circa res Ecclesiæ; non videtur praxis, de quâ agimus, satis in iure fundata.

Praxi vt queat iustificari.

Cap. Cum vos, de off. Ordin. quid ad intantum.

Quid Cap. Decernimus 16. q. 7.

Que cura ad Patronos spectat.

Filijs. Cap. Considerandum, & Cap. Si plures. Illis tamen solam curam sollicitam pro Ecclesijs iniungit, cum iure idoneos rectores præsentandi. Cura autem sollicita haberi potest sine administratione, de qua loquimur, & modus traditur in Cap. Filijs citato, licet de casu, in quo sumus, verbum nullum in citatis textibus reperitur. Non videtur ergo ad patronatûs priuilegium recurrendum.

Afferio. licet praxim iure defensionis indefensa persona.

Obiectio non leuis.

Cuius conſuetudo reſponſio.

Quantum momenti habent.

Ad beneficium Pontificia recurrendum.

Auditorum negotio spoliolum.

41 Dico ergo, praxim prædictam tolerari posse iure defensionis indefensæ personæ, quod ad Reges præcipuè spectat. Cum enim morientium Episcoporum bona direptioni pateant, quod frequentissima experientia demonstrant, iuxta naturalem æquitatem est, eum, cui boni communis cura committitur, in eorum incumbere defensionem. Dicitur hic potest id verum habere in ordine ad bona in tuto collocanda: & confectionem inuentarii, quam & negat cum alijs Diana Parte 4. Tractat. 1. Resolut. 110. Illis autem sic collocatis, eorum dispositionem ad Ecclesiasticos iudices remittendam: iam enim cessat ratio, propter quam laica potestas se intrromittere de bonis Ecclesiæ potuit, iuxta modum loquendi Glossæ. Non ergo lites circa hæc exortas & alia, quæ praxis complectitur, debent Regia tribunalia prosequi, in quibus iura Ecclesiæ pariter admiscuntur; ad quam defuncti spectat hereditas. Quemadmodum iudex secularis Clericum nocere paratum, aut etiam nocentem, ne amplius noceat apprehendit; non tamen in eius causâ iudicialiter se intrromittit, sed eam cum apprehenso, Ecclesiastico iudici remittit cognoscendam. Nec dici potest apud Regias Audientias prædictas causas breuius, & commodius expediri: nam vt ita sit (quod tamen non semper tale est, nam causa illa, de quâ Dom. Solorzanus num. 62. & seq. spatio est plurium annorum absoluta) non idè debet iurisdicctio Ecclesiastica vsurpari, sicut in alijs contingit. Et quidem ciuilem causâ Iudeorum, & hæreticorum apud sanctæ Inquisitionis tribunalia tardè nimis expediuntur, quod & Inquisitores ipsos scio non semel voluisse; nec tamen propterea vt de alia deferantur tribunalia hucusque nouimus intentatum.

42 Quæ ratio apud me tantum momenti habet, vt existimem ad beneplacitum Sedis Apostolicæ necessariò recurrendum, & illud in præsentem præsumi. Sciunt enim Pontifices ita se praxim Regiorum tribunalium habere, & in magnum illam Ecclesiarum commodum cedere; vnde tolerantia non est pura abusûs permissio reputanda, sed condescensio; cum alias notum sit ad sic faciendum magnorum scriptorum auctoritate Principes permoueri, & saltem probabile reputare. Vt ergo aperte non faueant, & praxim probent; saltem vt probabilem iudicio sic agentium tolerant, iuxta id quod diximus Titul. 2. num. 71. & hic quidem doctrina illa maiori cum fundamento venit applicanda: nam in cognitione per viam violentiæ comperta est Pontificis mens, vt vidimus ibidem num. 73. cum tamen in casu præsentem pro contrariâ Pontificis mente fundamentum nullum firmum habeamus.

43 Pergant ergo Audientia Indicæ in spoliolum collectione, & rem istam sanctè peragant,

cum sancta sit. Quod tamen aliquando an ira contingat solet à multis dubitari. Pretiosa aliqua, aut curiosa iudicem inuentario assitentem sibi sumere, turpitudò est in viris tantis minimè toleranda. Quo id titulo? Laboris? Atqui pro illo pingue stipendium accipiunt, sicut & pro alijs ad eorum officium spectantibus. Alius autem præterea non est. Sicut autem rapi quidquam nequit, ita neque viliori emi pretio, vt est manifestum. Illud non ita, an in subhastatione submittere aliquem possit, qui suo nomine pretium offerat, & quidem vile, agendo vt nullus illud augeat. Vbi quidem si præsertim empturis constet rem talem ab Auditore expeti, & eo circuitu pro illâ habendâ vt, videtur certum iniustitiam committi, & onus restitutionis incumbere. Tum quia ex officio tenetur functionem illam in Ecclesiâ utilitatem exequi, cuius est publicus minister, & ita causâ damni inde prouenientis: iuxta dicta alias de Principibus, & Magistratibus. Tum etiâ specialiter: quia ibi interuenit vis, & metus, quibus utilitas illa Ecclesiæ impeditur. Quando enim tale quid accedit, non licet emptores impedire, qui pretium augeant, licet aliàs probabile sit posse id precibus obtineri. Pro quo sunt Conradus, Arago, Vega, Emmanuel Rodriguez, Bonacina, Villalobos, & Nauarra, quos adducit, & sequitur Diana Parte 1. Tractat. 8. Resolut. 76. dicens Nauarram ante omnes citatos id docuisse, cum tamen constet illorum aliquos esse illo antiquiores. Vis autem, & metus facile ostenditur ex eo, quod nullus audebit Auditoris indignationem oppositione huiusmodi prouocare; si autem pretium infra dimidium iusti sit, inde manifestior apparet iniustitia: res enim sub hâstâ venditioni expositas, medium saltem, & infimum habituras pretium, communis scriptorum sententia est; pro quâ Nauarra supra; & Diana eiusdem verba proponens. Salon Tom. 2. Quæst. 77. Artic. 1. Conclusionem 2. Controuers. 5. P. Molina Disp. 349. num. 11. & alii quamplures: Licet erga summum non sit vna omnium sententia; dicentibus non paucis posse vendi excedenti summum, aliàs iustum, si illud possit sine fraude ab emptoribus extorqueri. Videndus Bonacina de Contractibus Disp. 2. quæst. 2. puncto 4. num. 21. & P. Lessius Lib. 2. Cap. 21. num. 35. Quod & videtur probare P. Gaspar Hurtadus Disp. 2. de Emptione, & venditione difficul. 6. Diana supra Resolut. 55. & alii apud ipsium. Nec dissentit Cardinalis Lugo Disp. 26. num. 45. dum ait: non esse facile iniucendum scrupulum circa prædictam venditionem, quod cum excessus est pretii, præsertim intelligendum: ibi enim donatio præsumi potest ex euentis affectione. Scio quid nonnulli secus dicant; sed certè parum verosimiliter.

44 Si verò ita submittat emptorem, vt nolit nisi iusto pretio habere, nec intelligi se in eius desiderio esse; alius autem id emptoribus significet, sicque minori pretio eam comparet, non videtur iniustitiam committere, & consequenter neque ad restitutionem teneri: quia causa damni non est, nisi valde remotè, quatenus id petiuit ab alio, quod si non esset petiitum, damnicatio nulla sequeretur: quod non est satis, vt absolutè causa dicatur; quia id de morali tantum dicitur in materiâ præsentem. Quemadmodum,

licet non sit inuita, nihil sibi posse sumere.

Quid cum subhastatione venduntur, & emptor submittitur.

Vi quæsi auditio pretij impeditur.

Quale sit rerum sic vendibilium.

Ultra summum qui admittant.